

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio XI.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

Christi, & cultus Deiparæ taliter exhibitus sub omnimodâ practicâ certitudine inducat specificam Latriæ & Hyperdulix supernaturalẽ honestatem.

DISSERTATIO XI.

*An Christi Domini sub Sacelli Einsid-  
lensis Consecratione asserta apparitio  
pugnet cum Verbo Dei?*

I. **H**Eideggerus suæ Synodalis Dissert. §. 17. taliter argumentatur. Sed ut pressius agamus, Divinam eam non fuisse apparitionem, argumento probamus validissimo, quòd cum Verbo Dei, quod apud veros Christianos primam & eminentissimam Authoritatem habet, adversâ fronte pugnet. Etenim Petrus Act. 3. v. 21. testatur, oportere Christum capi cælo usque ad tempus restitutionis omnium. Unde Augustinus in Ioann. tract. 30. ait: Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus. Quomodo igitur descendit Dominus de cælo ad Sacellum Eremitanum?

E 5:

II. Ve-

II. Verum ex *Actorum* 7. cap. eruitur, Stephanum adhuc in terris positum cœlis apertis vidisse Iesum sibi corporaliter apparentem. Insuper Petro Apostolo è Româ fugienti Christum personaliter apparuisse, probat Suarez 1. p. 10. 2. lib. 6. cap. 21. n. 20. Et Carpo Christum post ascensionem suam se exhibuisse in terris, refert Divus Dionysius *Epist.* 8. Denique Paulo Damascum proficiscenti Christum corporaliter fuisse præsentem, ostenditur ex eo, quòd Apostolus 1. *Corinth.* 15. Visionis istius argumento utatur ad fidem Resurrectionis confirmandam: cujusmodi argumentum fore inefficax, si apparitio illa non contigisset per corporalem præsentiam, advertit Doctor Angelicus 3. p. 9. 58. a. 6. ad 3. Quia ergo, donec sæculum finiatur, sursum est Dominus, respondeat Heideggerus, quomodo illa Christi Domini apparitiones homibus in terrâ positis factæ contigerint, & inde erit etiam modus explicandi  
Chri-

Christi Domini in Sacello Einsidleni factam apparitionem.

III. Scio equidem Majorem in 4. dist. 10. q. 4. & alios maximè recentiores Scholasticos responsuros, Christum, ex quo in caelum ascendit, nunquam deseruisse locum caelestem, in terris tamen per veram ac realem sui praesentiam quandoque apparuisse, quantitativè & circumscriptivè in duobus simul locis existendo. Verùm in contrarium nititur Heideggerus cit. S. 18. asserendo, nugari istos homines de scholâ, paradoxumquè esse, Scripturæ, antiquitati omni, & sanæ rationi è diametro adversum.

IV. Nunquid Heideggere, hæc tua decisoria sententia, nullis inductis vel sacrae Scripturæ Authoritatibus, vel luminis naturalis rationibus, tantum pondus habere debet, ut vel solâ Professoris Tigurini exsufflatione opinio illa sit habenda pro paradoxo, sacris etiam (è quibus tamen ne apicem producis) Litteris contrario. At major per rationem fundata est Authoritas Doctoris Angelici

E 6

Quod

Quodl. 1. a. 22. ad 1. & quodl. 3. a. 1. sic differ-  
 rentis : Corpus localiter esse in loco, nihil est  
 aliud, quàm circumscribi ac comprehendi à loco,  
 secundum commensurationem propriarum di-  
 mensionum : quod autem comprehenditur à lo-  
 co aliquo, ita est in loco illo, quòd nihil eius extra  
 locum eum est. Unde ponere, quòd localiter est in  
 hoc loco, & tamen sit in alio, est ponere contradi-  
 ctoria, Fateor quidem, me in hac con-  
 tradictione aliquam olim sensisse diffi-  
 cultatem in meis de Sacello Einsidlensi  
 Discursibus Theologicis; Disc. 4. S. 2. ex-  
 positam. Nihilominus in Tomo 4. Theolog.  
 Scholast. q. 13. a. 1. Controv. 3. talis replicatae  
 circumscriptivæ locationis implicanti-  
 am fusiùs deduxi, quòd lectorem remit-  
 to : & sic libenter concedo Heidegge-  
 ro, quòd illa Christi Domini in Sacello  
 Einsidlensi apparitio non acciderit per  
 circumscriptivam replicationem. Asse-  
 ro proinde in præallegatis meis Discur-  
 sibus Theologicis Disc. 1. ad 3. cum San-  
 cto Thomâ 1. p. q. 57. a. 7. ad 8. mentem Di-  
 vi Petri in cit. cap. 3. Act. v. 21. esse, Quòd cœ-  
 lum.

lum eatenus sit proprius Christi Thronus, ut tamen possit sine Majestatis suæ diminutione aliquando ad breve tempus, non autem permanenter inde abesse.

V. Verum præallegatus Tigurinus Professor cit. §. 17. censet, hanc responsionem non esse solidam. Nam Petrus dicit: *Oportere, Christum cælo contineri.* Quæ locutio præsentia ejus in cælo tanquam throno suo perpetuæ, & non interruptæ necessitatem importat. Ita extra Neapolim nunquam est, quem *Neapoli contineri oportere*, dicitur. Deinde verba sequentia, usq; ad tempus restitutionis omnium, cum præcedentibus concatenata arguunt, Dominum non semper cælo contentum iri, egressurum, & venturum ad judicandum nimirum vivos & mortuos, & restituenda omnia. Cum igitur Scriptura doceat, Christum ad momentum duntaxat judicij causâ cælos relinquiturum, & illuc statim rediturum, Apostolus non innueret, eum tunc temporis cælo non contentum iri, nisi per illud

cælo,

cælo contineri, intelligeret relinquere.

VI. Sed ecce! Heideggere, semper adhuc versamur in difficultate supra n. 2. expositâ. Si enim cœlum ita est Christi Domini thronus, ut à die ascensionis ipsius nunquam fuerit, vel futurus sit extra illud usque in diem iudicij extremi, quomodò corporaliter visus est à sancto Stephano? Quomodo & sanctis Apostolis Petro Romæ, & Paulo Damascum proficiscenti in aere realiter & corporaliter apparuit? Certè ad hæc inter se concordanda non aptior est responsio, quàm Divi Thomæ. Nam thronus Christi est, ubi eatenus secundum quantitativam Corporis sui commensurationem continetur, ut inde in animas & Angelos sibi subjectos diffundat gratiæ & gloriæ tum substantialis, tum saltem accidentariæ, supernaturaliumquè illustrationum radios, ceu spiritualis regiæ potestatis suæ actus. Et hinc in die restitutionis omnium deseret hunc thronum suum, ac juxta *Math. 24. v. 30.* super terram

ram in Nube collocabit sedem Majestatis suæ, quia cum totâ cohorte cælesti, advocatis etiam ex inferno damnatis, eatenus apparebit Dominus in nube, ut judiciariæ ac regiæ potentia suæ actus sit exerciturus super terram. At verò illis apparitionibus sanctis Stephano, Petro & Paulo factis Christus quoad quantitativam superficiem, & locationem suam corporalem eatenus potuit contineri aere, seu terræ superficie, ut tamen omnimodum Regiæ suæ spiritualis potestatis influxum, nō tantum secundum Divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, ceu instrumentum Deitati personaliter unitum, exerceret in spiritus quoque cælestes, uti patet ex ijs, quæ cit. 10. 4. 9. 13. a. 1. controv. 1. à me probata sunt. Et hinc licet *secundum quantitativam locationem* esset in terrâ seu aere, attamen *secundum præsentiam virtualem* manserat in cælis. Et hoc videtur insinuatum à Divo Thomâ *superiùs citato*, dum dixit, quòd cælum eatenus sit proprius Christi

sti



sti thronus, ut tamen sine Majestatis, suæ per suos, scilicet supernaturalium donorum, seu illustrationum influxus exhibitæ diminutione ad breve tempus possit *secundum quantitativam locationem*, non verò *secundum virtuales presentiam*, aliquando abesse.

VII. Neque obstant, quæ Heideggerus superius opposuit. Nam Petrus Apostolus *Act. cap. 7.* duas Christi Dominifedes, seu Majestatis ipsius thronos inducit; alterum pro statu restitutionis omnium, alterum pro statu Ecclesiæ in tempore isto adhuc militantis: quem thronum eatens dixit esse cælum, *ut oporteat cælum fisciipere Christum*, veluti habet versio vulgata, sive *ut oporteat Christum cælo capi*, veluti habet versio Syriaca. Ex hoc autem evincitur duntaxat necessitas, non quidem coactionis, sed consequentiæ in Divino Decreto ac mutuo inter Christi humanitatem, ac Deum Patrem inito pacto taliter fundata, ut istum thronum Christi Humanitas *secundum*

vir

virtualem praesentiam usque in diem futuri  
 iudicij nunquam esset deserturus, licet  
 quoad locationem quantitativam ad breve  
 tempus aliquando abesset : cum econ-  
 trā in statu restitutionis omnium Chri-  
 stus Dominus, neque secundum quantitati-  
 vam locationem, neque secundum virtuales  
 Majestatis suae praesentiam, simpliciter sal-  
 tem loquendo, sit pro illā die mansurus  
 in caelis. Et hinc attentā inter hunc du-  
 plicem Christi Domini thronum com-  
 paratione, Christus universo tempore,  
 usque ad diem restitutionis omnium di-  
 ci potest tum universaliter pro omni  
 momento, secundum virtuales saltem praesentiam,  
 tum ordinariē loquendo secundum  
 locationem etiam quantitativam manere  
 in caelis, licet corporaliter aliquando  
 pro brevi spatio apparuerit in terris : si-  
 cuti Rex ex regni sui sanctionibus ob-  
 ligatus residere in regno, hanc obliga-  
 tionem non infringit, licet quoad cor-  
 poralem praesentiam brevi spatio extra  
 illud se reciperet, retentā interim vir-  
 tualem

tuali per providas suas ordinationes  
præsentiâ.

DISSERTATIO XII.

*An non sit blasphema calumnia, dum  
Dedicatio Sacelli Eremitani dicitur insti-  
tuta in fine n. cultûs idolo-  
latriæ?*

I. **H**eideggerus *cit. S. 19. arg. 2.* ita pro-  
cedit: Scriptura mandat invocacionem  
folius Dei *Deut. 6. 13. Math. 4. 10. Psal. 50. 15. Isaia 55. 6.* Unde idololatriæ  
postulantur, quotquot eum cultum aliò re-  
ferunt. *Deut. 17. 3. 2. Reg. 17. 13. Rom. 1. 25. Gal. 5. 8.* Atqui apparitio illa & Dedicatio  
Sacelli Eremitani non alio fine insti-  
tuta est, quàm in stabilimentum cultûs  
Religiosi Sanctorum.

II. Quàm probè suorum Magistrorum  
ingenia hîc imitatus est Heideggerus.  
Nam & Zwinglius *Epich. de Can. Mis-  
sa* ait: se nihil morari diuturnitatem, &  
Hieronymi contra Vigilantium de In-  
vocatione Sanctorû tela amara potius,  
quàm